

SABBATO

De Martyrologio Nono Kalendas Júnii.
Luna septima.

Dies Pentecostes, quando Spiritus sanctus Hierosolymis super discipulos igneis linguis advénit. **Antiochiæ** natalis sancti Mánahen, qui fuit Heródis Tetrárche collactáneus, atque, Doctor et Prophéta existens sub grátia novi Testaménti, in eádem urbe quíevit. **Item** beáte Joánnæ, uxóris Chusæ, procuratóris Heródis, quam Lucas Evangelista commémorat. **In** Portu Románo natalis sancti Vincéntii Mártiris. **Nannéte**, in Británnia minóre, beatórum Mártýrum Donatíani et Rogatíani fratrum, qui, sub Diocletiano Imperatóre, pro constántia fidei, in cárcerem missi, et in equíleo suspénsi ac laníati, deinde láncea militári confóssi, novissime cápite præcisi sunt. **In** Istria sanctórum Mártýrum Zoëlli, Servilii, Felicis, Silváni et Dióclis. **Eódem** die sanctórum Mártýrum Melétii, ducis exércitus, ac Sociórum ejus ducentórum et quinquaginta duórum militum; qui divérso mortis génere mártýrium compleverunt. **Item** sanctárum Mártýrum Susánnæ, Marcíanæ et Palládiæ, eorúndem militum uxórum, quæ, una cum párvulis suis, confrácte sunt. **Medioláni** sancti Robustiáni Mártiris. **Bríxiæ** sanctæ Afræ Mártiris, quæ sub Hadriáno Imperatóre passa est. **In** monastério Lininénsi, in Gállia, sancti Vincéntii Presbyteri, doctrína et sanctitate conspicui. **Marróchií**, in Africa, Beati Joánnis de Prado, Sacerdotis ex Ordine Minórum et Mártiris; qui, in prædicatione Evangelii, post vincula, cárceres, flagélla plurimáque ália torménta, pro Christo fórtiter toleráta, per ignem mártýrium consummávit. **Bonóniæ** Translatio sancti Dominici Confessoris, témpore Gregórii Papæ Noni.

V. Et álbi aliórum plurimórum sanctórum Mártýrum et Confessorum, atque sanctárum Virgínium. **R.** Deo grátias.

Ex Regula Sancti Patri Nostri Benedicti
Caput Quintum: De Obedientia

Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Haec convenit his qui nihil sibi a Christo carius aliquid existimant. Propter servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennæ vel gloriam vitæ æternæ, mox aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu auris obedivit mihi. Et item dicit doctoribus: Qui vos audit, me audit. **Ergo** hi tales relinquentes statim quæ

sua sunt et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur. Et veluti uno momento prædicta magistri jussio et perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambae res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt, unde Dominus dicit: Angusta via est quæ ducit ad vitam; ut non suo arbitrio viventes vel desideris suis et voluptatibus obediētes, sed ambulantes alieno judicio et imperio in coenobiis degentes abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam quæ dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

V. Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.

DOMINICA

De Martyrologio Octavo Kalendas Júnii.

Luna octava

Salérni depositio beati Gregórii Séptimi, Papæ et Confessoris, ecclesiásticæ libertátis propugnatoris ac defensoris acerrimi. **Romæ**, via Nomentána, natalis beati Urbáni Primi, Papæ et Mártiris, cujus exhortatiōne et doctrína complures (in quibus fuere Tibúrtius et Valeriánus) Christi suscepérunt fidem, et pro ea mártýrium subiérunt. Ipse quoque, in persecutiōne Alexándri Severi, multa passus pro Ecclesiá Dei, tandem, cervicibus abscissis, mártýrio coronátus est. **Girvi**, in Anglia, tránsitus sancti Bedæ Venerabilis, Presbyteri, Confessoris et Ecclesiæ Doctóris, sanctitáte et eruditiónē celebrími. Ipsius autem festum recólitur sexto Kalendas Júnii. **Floréntiæ** natalis sanctæ Mariæ-Magdalénæ de Pazziis Virgínis, ex Ordine Carmelitárum, vita et sanctitate illústris. Ejus vero festivitas quarto Kalendas Júnii celebrátur. **Doróstoi**, in Mýsia inferióre, item natalis sanctórum Mártýrum Pasicratis, Valentiónis et aliórum duórum, simul coronatórum. **Medioláni** sancti Dionýsii Episcopi, qui, ab Ariáno Imperatóre Constántio in Cappadóciam pro fide cathólica relegátus, ibidem, propióre Mártýribus titulo, spiritum Deo réddidit. Ejus sacrum corpus ab Aurélio Episcopo transmissum est Mediolánum ad beatum Ambrósium Episcopum; cui piæ actiōis officium quoque sancti Basilii Magni accessisse tráditur. **Floréntiæ** natalis sancti Zenóbii, ejúsdem

civitátis Episcopi, vitæ sanctitáte ac miraculórum glória conspicui. **In** Británnia sancti Aldélmi, Episcopi Schireburgénsis. **In** território Tricassino sancti Leónis Confessoris. **Lutétiæ** Parisiórum sanctæ Magdalénæ-Sophiæ Barat, Fundatricis Instituti Sorórum a Sacro Corde Jesu; quæ pro Christiána puellárum informatiōne valde adlaborávit, et a Pio Papa Undécimo in sanctárum Virgínium catalógum fuit reláta. **Vérulis**, in Hélnicis, Translatio sanctæ Mariæ Jacóbi; cujus sacrum corpus plúrimis miraculis illustrátur. **Assisi**, in Umbria, item Translatio sancti Francisci Confessoris, témpore Gregórii Papæ Noni.

V. Et álbi aliórum plurimórum sanctórum Mártýrum et Confessorum, atque sanctárum Virgínium. **R.** Deo grátias.

Ex Regula Sancti Patri Nostri Benedicti
Caput Quintum: De Obedientia

Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmuro, vel cum responso nolentis efficiatur. Quia obedientia quæ majoribus præbetur Deo exhibetur; ipse enim dixit: Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo a discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum ore sed etiam in corde si murmuraverit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor ejus respicit murmurantem, et pro tali facto nullam consequitur gratiam; immo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

FERIA SECUNDA

De Martyrologio Séptimo Kalendas Júnii.

Luna nona.

Romæ Litanie minóres ad sanctam Mariám Majórem. **Romæ** sancti Philippi Nérii, Presbyteri et Confessoris, qui Congregatiōnis Oratórii Fundátor fuit, ac virginitáte, prophetiæ dono, et miraculis éxitit insignis. **Item** Romæ sancti Eleuthérii, Papæ et Mártiris, qui multos nóbiles Romanórum ad fidem Christi perduxit, et sanctos Damíanum et Fugátium in Británniam misit, qui Lúcium Regem, cum uxóre ipsius ac toto fere pópulo, baptizárant. **Cantuáriæ**, in Anglia, natalis sancti Augustini, Episcopi et Confessoris; qui, una cum aliis, a beato Gregório Papa missus, genti Anglórum sacrum Christi Evangelium

prædicávit, ibique, virtútibus et miraculis gloriósus, obdormívit in Dómino. Ejus tamen festivitas quinto Kalendas Júnii recólitur. **Athénis** item natalis beati Quadrati, Apostolórum discipuli, qui, in persecutiōne Hadriáni, fide et indústria sua cóngregans Ecclesiám grandi terróre dispérsam, librum pro Christiánæ religiōnis defensiōne, valde útilē et Apostólicá doctrína dignum, eidem Imperatóri porréxit. **Romæ** sanctórum Mártýrum Simitrii Presbyteri, et aliórum viginti duórum; qui sub Antonino Pio passi sunt. **Viénnæ**, in Gállia, sancti Zachariæ, Episcopi et Mártiris, qui sub Trajáno passus est. **In** Africa sancti Quadrati Mártiris, in cujus solemnitate sanctus Augustinus sermonem hábuit. **Tudérti**, in Umbria, natalis sanctórum Mártýrum Felicissimi, Heráclii et Paulini. **In** território Antisiodorénsi pássio sancti Prisci Mártiris, qui, cum ingéni multitudíne fidélium Christi, cápite cæsus est. **In** civitate Quiténsi, Æquatoriánæ Ditiōnis, sanctæ Mariæ Annæ a Jesu de Parédes, Virgínis, e tértio Ordine sancti Francisci, austeritate et in próximum caritate præcláre, quam Pius Papa Duodécimus sanctárum Virgínium catalógo adnumerávit.

V. Et álbi aliórum plurimórum sanctórum Mártýrum et Confessorum, atque sanctárum Virgínium. **R.** Deo grátias.

Ex Regula Sancti Patri Nostri Benedicti
Caput Sextum: De Taciturnitate

Faciamus quod ait propheta: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam; obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis. Hic ostendit propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari. Ergo, quamvis de bonis et sanctis et aedificationum eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia; quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum; et alibi: Mors et vita in manibus lingue. Nam loqui et docere magistrum condecet: tacere et audire discipulum convenit. **Et** ideo, si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiæ requirantur. Scurrilitates vero vel verba otiosa et risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.